DIES

BONI NUNTII

Christiano Orbi Serenissima
nuper
è sacro suggestu
Coram Augustissimis SARMATIÆ Majestatibus
Evangelica luce

DECLARATA.

Jllustrissimis demum Honoribus
Celsissimi Illustrissimi ac Reverendissimi Domini

D. IOANNIS LIPSKI,

Episcopi Cracoviensis, Principis Severiæ &c.
Cum festivo applausu, & omine fortunato, nempe solis dierum occasûs gaudiorum nescii,

DEDICATA.

à Perillustri, ac Reverendo Domino
D. ANTONIO GRZEGORZEWSKI,
Canonico Varsaviensi &c. nec non Judiciorum S R. M. Assessore.
Anno Increatæ lucis primùm mundo exorientis, supra millesimũ septingentesimũ trigesimo sexto.
Primâ Aprilis.

VARSAVIÆ Typis S. R. M. Collegii Societatis JESU.

In Sſtemma ILLUSTRISSIMÆ GRA BITARUM Domûs.



I.

Fixa Tyarato quæ ſtant ſub tegmine *Raſtra*
Obſequiis Patriæ, Jugiter illa vacant.
Paſchæ ſacra dies, operoſa quieſcite *Raſtra*,
Aſtra jubent requiem, roſtra loqvuntur idem.
Fervet opus, nec feſta dies vacat abſq; labore,
Cur ? quia diſpenſat, *Præſulis* Officium.

II.

Sol Princeps, Honor umbra, dies fortuna ſerena,
Horæ ſunt, priſcæ ſæcula longa DOMUS;
Quàm vetus illa rogas; ad ſolem vertito *Raſtrũ*.
Oſtendet clarè, dentibus, hora quota eſt. Muretus.

Celsissime Illustrissime ac Reverendissime Domine.

P*Ertinebat ad perfectum festivæ lucis meridiem, ut se Tuis quoquè immisceret splendoribus* Princeps Celsissime, Antistes Illustrissime. *Non excludunt à suo consortio Illustrissimi Planetæ, aliorum siderum pompam, imò non rarò ultro requirunt, quasi sideribus etiam magnatibus ea insit ambitio, ut vel adstiticiæ Serenitatis Majestate cumulatiores, mundo audeant apparere. Satis suo lumine dives astrorum Serenissimus, nunquam tamen aut oritur absq; Phosphoro, aut incomitatus Hespero declinat in occasum. Obscuriora quoq; Phænomena, quæ ut cynthia aliena luce co-*

ruſcant, toto errant Cœlo, donec in ejus veniant ſocietatem, à quo ſplendidum eſſe mutuentur. Et declarata quidem feſtivitas, ſolis non lunæ dies eſt, adeoq́ ea radiat ſerenitate, ut non ſolùm alieno non egeat lumine, verùm ſuos quoq́ ſplendores quà latè patet Orthodoxus Orbis, diſpenſet liberaliter. Ut ut verò, in nubibus eſt & ſereno vultu, publicæ arridet lætitiæ, habet nihilominus quod ſuam obumbret claritatem. Tytanem nubes, præſentem ſolis diem obſcuritas ſtyli, & effuſa ſæpiæ offuſcat caligo, cui niſi illo affulſeris vultu quo rerum Sarmaticarum ſerenas faciem Senator, proripe eſt, ut ſui oblita propoſiti Artificialis hæc dies concedat in occaſum. Soles occidui vergunt in Oceanum, Dies boni nuntii oblivioſam præceps ibit in Lethen, *niſi in nominalium gratiarum JOANNES ſtarè jubeas meridie. Quid ultrà deſideret, quibus ardeat votis, ex umbra præli patet luculentè. Pallet in prima paginæ facie incompto deformata ſtylo formoſa hæc dierum*

Pul-

Pulcheria, adeoq; pro Cerussa, Principe Bysso, pro stibio Senatorij muricis petit colorari Cinnabari. Sic verò compta, illi inseri rubro, in quo non erubescenda LIPSCIORUM facta, posteritati, Hæroo transcripta Sangvine, recenset annus dierum memorabilium. Meretur certe Hæroum fastos Triumphalis Orbi Christiano festivitas, nullis tamen digniùs inscribi potest, quàm LIPSCIANÆ gloriæ monumẽtis, quibus cõmunes triũphanti de mortalitate DEO laureæ inarantur; partiri debuerat supræmus victor, præreptas morti palmas, divisisse Trophæa cũ victoriosa Grabitarũ Domo, in qua quotquot viri, totidẽ factorũ Triũphatores audiuntur Immortales. Perennãt in sæculorũ memoria, æternitate meritorũ Coronata LIPSCIORUM Nomina, Vivunt suæ superstites famæ maximis majores Aborigines Tui, neve desinerent vivere in Te vita & anima Patriæ sibi providerunt. Vindicas à fatis dignos Immortalitate viros, vitamq;, quam à Progenitoribus

accepisti, mutuò restituis; dum mori vetas hæroica Eorum facta, prodigiosa in Te ipso animando Anastasi, adeoq; redivivi illi Hæroum Phænices Triumphalem quodammodo Resurrectionis obeunt diem, in Te suo Salvatore. Insolens id certè videretur factum, ex umbris in lucem, è tumulo revocare ad vitam, nisi jam post Stanislaum *in Thaumaturga Infulatorum Cracoviensium potestate miraculi nomen amisisset. Unum tamen dexteritatis Tuæ* Princeps Celsissime *prodigiũ præterire non licet, Currentis sæculi testimonio confirmatũ; quod corpus Reipublicæ olim mortali fatorũ ictu à suo Capite, nẽpe Serenissimo AUGUSTO SECUNDO Poloniarũ Pricipe divisum, Pontificiæ manûs Tuæ Impositione denuo animâsti, ubi Eidẽ festiva Coronationis die, in Serenissimo AUGUSTO TERTIO, Rege nostro; caput Coronatum addidisti Festum. Resurrectionis ad populum erat illa dies, quâ salutem Populi, pacem nempe Publicam ferreis pro tunc tumulatam Temporibus*

dexte-

dexteræ Tuæ potentiâ resuscitâsti, ubi rixis domesticis in Corona Regni Coronidem imposuisti. Ast iterum ejusmodi factum minimè prodigii nomen habere censui, hæc namq; aut his majora pro salute Patriæ facinora LIPSCIORUM *virtuti congenita sunt, quotquot enim sub hac Tyara Antistites, tot feliciores Promethei, quibus nihil communiùs, quàm Apostolico Spiritui Animam, Patriæ inspirare vitam, Politicum Reipublicæ Corpus sanis vegetare Consiliis;* & *quidquid insignium virtutum antecedanea Purpuratorum Patrum serie oblivioso insepultum est cineri, id in se advivum animare. Non revoco ad Triumphales festivæ lucis ignes, triumphantia de mortalitate* Illustrissimorum *Prædecessorum Tuorum sole clariora prodigia, taceo declamata vocali famæ Classico, post Thaumaturgum Stanislaum Tyarata illa Sanctimoniæ miracula: integerrimæ vitæ Lãbertũ, amænissimæ virtutis renidentem luce Gaudentium, Triumphatorem fatorum Vincenciũ*

præteræo felicem illum æternitatis Zodiacum, duodecim Signatos *Joannis Nomine insigniores Præsules, hoc est cognatas Tibi PRINCEPS CELSISSIME gratias, unus mihi ad præfatæ veritatis argumentum sufficiet Magnus ille PONTIFEX, à sanctimonia vitæ pene Sanctissimus, ardentissimus Orthodoxæ Religionis Zelotes, Patriæ purpuratus Pater, Celsissimæ* Grabitarum *Domûs Tyaratus apex, ANDREAS LIPSKI cum quo* Tibi Antistes Illustrissime *ùt proxima magni Nominis cognatio, ita purpurati honoris consangvinitas, ita Præsulearum dotum maxima intercedit affinitas. Hæredem hic Te suarum virtutum ac Infulatæ dignitatis posteritati reliquit, ne in aliquo desideraretur. Licet verò toto sæculo, Te ad immortalitatem præcesserit, Tu tamen Eum, magnorum præcursor JOANNES, si non antevertis, certè integra laudum adæquas æternitate. Ita enim verò benemerendo de Religione & Patria totum*

Tibi vendicas ævum, atq; ita perennitatem famæ mereris, ut etiam dignius Gallicano illo Neſtore, JOANNES Temporum *nuncuperis.* * *Cum itaq; tempora, imò ipſam perennaturæ gloriæ æternitatem Tuam facias, etiam orientem in publicam lucem* boni nuntii diem, *ad Te neceſſe eſt pertinere. Computaveris illam benevolo animo, inter momenta anni gratiæ, quem devotis Tuo Nomini indulges Clientibus* Præſul Gratioſiſſime; *certè non in Breviario, hoc eſt brevi Diario, verùm in ſæculorum horologio, Horæ Canonicæ, perenne Tibi laudum perſonabunt Officium. Audies identidem illud de Te:* Tarda ſit illa dies, & noſtro ſerior ævo, quâ caput auguſtum, quem temperet orbe relicto, accedat Cælo. * *Nullum elabetur temporis inſtans, quo non inſtanter præcabimur à ſuperis* Antiſtitun optimo

* Buſieres in floſculis Hiſtoriarum.

* Ovidius.

boni nuntii diem, *nunquam in fatorum occasum declinandum, Prout & nunc precatur ac vovet.*

Tuo Nomini & Honori

Servus Addictissimus & humilimus

ANTONIUS GRZEGORZEWSKI,
Canonicus Varsaviensis nec non Judiciorum S. R. M. Assessor.
mpp.

CONCIO.

Pro Dominica Resurrectionis Domini Nostri JESU Christi

Surrexit, Ite Nuntiate. Marci 16.

SIste gradum, imò æternum pone ori silentium, immunde cum tuis victoriis munde. Si quos tibi, eosq; fortunatissimos numeravit sæculum dies, si ambitiosas victoriarum columnas fabricavit antiquitas, si gloriosos fortuna extruxit circulos, cyfram & unum denotant nihil. Taceat & illa Romanorum dies, quâ Augustus Cæsar Marco Antonio & Cleopatra, navali devictis prælio, Civili finem imposuit bello. Svetonius. Sileat serena ac fausta Judæorum dies, quâ ex diuturna captivitate Babilonis, cum Nehemia, Jerosolimam iterum rediêre. Esdræ c. 3 Transeant triumphales & ominosi dies, quibus Rudol-

phus

Buceling. phus captâ Basileâ unanimi Electorum suffragio Imperator nuncupatus. Una dies una dierum Mater, ab omni humano genere salutatur, dum immensum hodie audit gaudium, *Surrexit, ite nuntiate* Surrexit immortalis Triumphator Dominus Noster JESUS Christus. *Resurgens jam non moritur, mors illi ultrà non dominatur.* Vere desideratissima tot sæculorum dies, hæc justiùs Hæbreorum supremum boni Nuntii promeruit titulum, illa laureatas de victoriis reportabat literas, hæc non scripto, sed vivæ vocis oraculo, laureis lingvarum ab Ecclesia promulgata. Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea, quâ justitia & pax osculatæ sunt, reserata Cœli Janua.

Voluit sed non valuit infernalis animarum hostis, decepto per lignum homini, æternum diræ captivitatis imponere jugum, jam captivum Genus humanum, tot annorum centena salsis deplorabat lachrymis. Jam magnis gemitibus novum desiderabat Moysen. Inclamabat Davidem, qui Tartareum funda Cœlesti, sterneret Gigantem, exoptabat suscitari Danielem, qui infernalem, objecto bolo neci daret Draconem, quid Ultrà? Generalissima determinat Comitia, & uno quatuor Legatos eligit ore Abrahamum Patriarchæ, Isaiam Prophetæ, Reges Davidem, Sacerdotes Aaronem, non ingenioso exacuit calamum stylo, sed rubeo intinctum cruore talem denotat Instructionem. *Exaudiat Dominus orationes* Machi: 5. *vestras & reconcilietur vobis.* Post expedita tot Sanctorum suspiria, magna inter Justitiam, teste

Ber-

Bernardo, & misericordiam facta concertatio, ex clamavit Justitia: *Justus es Domine, fiat ergo justitia tua, & pereat mundus.* Mox ante divinam stetit Majestatem Misericordia, pro humano genere perorando. Mitissime Deus, reminiscere miserationum tuarum, quia venit tempus miserendi ejus, audi suspiria, percipe lamenta, attende lachrymas, en ecce Unigenitus Dei Filius de Sede Majestatis Suæ, ad æternum clamat Genitorem, *Domine ecce ego mitte me, nolo mortem peccatoris, imò Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*, assumam Corpus Una Persona in Societate duplicis naturæ, Divinæ nempe & Humanæ subsistens per Unionem hypostaticam, ac moriens pro homine, qui morti destinatus fuerat, Divinæ satisfaciam justitiæ. Satisfactum. Et ante tertiam Diem consummata sunt omnia. Surrexit ergo Christus hodie humano pro solamine, integram Inferorum suppressit potentiam, delevit debitorum nostrorum Chyrographum. Ipsemet Christus, ore clamat Supremi sui Cancellarii: *Fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula.* Hodie supra Universum genus humanum placata est ira Dei. O! inauditum diuq; desideratissimum hodie, o! felicissima Redemptionis nostræ dies, quibus te laudibus efferam nescio; dicam tamen: Dies Resurrectionis Domini, Dies occasuum gaudiorum nescia, absq; nube, serena. In primo Sermonis limine sisto pedem, ante Tuum gentilitium Pedem *Illustrissime & Reverendissime Antistes* succiduo procumbens genu, largissimam implorando Benedictionem.

Ezech: 33.

Apoc: 1.

Illmus Hosius Episcopus Posnan:

Procul à lumine, imò supremum tenebrarum

occupásset solium, qui solem matrem omnium denegaret dierum, diem sinè astrorum Duce, sinè anima hominem esse puta. Vestram tantùm exploro mentem Nomenclarores, quam dierum originem esse dicitis? Durat in sua Durandus ratione, ubi dicit dies à Græco Dyo, latinè duo, eò quòd duo contineat tempora, diem & noctem. Recede longè ab hac Redemptionis nostræ die, Durandi sistema divisit hodiernam Dei Lucem à tenebris Salvatoris Nostri Resurrectio, hæc dies umbræ noctis nescia. Umbram scelerum & omnium aflictionum matrem, vocat noctem Sacra literarum pagina. Nostra dies cópendium omnium gaudiorum est absq; nube, serena, quam Christus in sua Resurrectione, tanquã Sol illuminavit, gloriá suæ Divinitatis, in qua lætantur cœli & terra. Candido vestium colore circumornatus, Angelorum Chorus, horas dierũ omnes summæ associando Lætitiæ. *Vestis enim candida, vera est lætitia.* Cor totius mundi Sol, præ nimia palpitat lætitia, & radiantibus plùs micat oculis. *Solem ipsum arbitror in hac die sólitò clariorem fuisse ait Maximus.* Stellæ cœli, celeriori sua loca permeant cursu, Stella Matutina, ceu aurora obscurata nimis, tempore Passionis, Beatissima Virgo MARIA, hodie aureis lætitiæ splendet radiis, obscuratũ erat aurũ id est aureus Gloriosæ Virginis Color, Cujus iterũ revelatã claritatẽ, en ecce quàm dulcissimo Sacra Literarũ decãtat psalmodia: *Secundũ multitudinẽ dolorũ meorũ in Corde meo, consólationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Suum petunt & sidera Cœlum, errabundæ, sinè

S. Hieronymus.

Duce

Duce Stellæ, Sancti Apoſtoli, cum Sol juſtitiæ hodie egreditur ſuper terram, de rubro ſuæ Paſſionis Oceano, *Gaviſi ſunt viſo Domino.* Ipſa igitur exultat terra Canticumq; victoria canit, jam furibundis imperat concordiam ventis jam murmurantibus imponit ſilentium aquis, vernales colligit flores, & lætam hodiernæ Diej frontem, niveis vult coronare roſis. Omnia itaq; creaturarum genera, ſua hodie repreſentant gaudia. *In Reſurrectione Chriſti omnia elementa gloriantur.* D. Hilarius

Ulteriorem dierum inveſtigando originem, eam in Iſidoro,iterū invenio nomēclaturā, Dies, à Diis, ſeu à Deo, O! utinam omnia noſtrarum dierum momenta Supremo consecrarentur Numini, Utinam! omnes vitæ noſtræ dies, à Deo eſſent; quàm læta foret facies Eccleſiæ, cunctæ Urbes & Civitates ordinatiores extitiſſent, exutaret ubiq; frigidum illud Verbum, meum & tuum, quisq; cū Diogene contentus, alieni nil appetens, Pauper in patientia toleraret inopiam ſuam, ſpe fretus ſuū aliquando fore Regnum Cœlorum. Dies abundaret quidem auro, & liberali illud effunderet dextera in egentes, memor centupli olim recipiendi, Subditi præ amore vitam ponerent pro Dominis, Magiſtratus è contra cor divideret cum Civibus, à Vitiis ùt à monſtris abhorrerent Univerſi; nemo ſuperbiâ extolleretur, nemo furiis plenam & odiis mentem contra proximum animaret; nemo ſtimulis invidiæ ageretur. Verbo ſola Virtus coleretur, Solus Deus meta & centrum foret, cui cultum, cui laudes tribuerent Univerſi.

Certum eſt, nec animi quisquam diſcordiâ la-

 borare sufficit, omnes dierũ cursus Supremo Divinæ Omnipotentiæ subesse Dominio. *Tuus est dies & tua est nox, tu fabricatus es aurorã & solem*, dixit Rex David. Ipsemet Deus Integra dierũ spatias ultima circumscripsit periodo, propria unicuiq; imposuit Nomina: *dies apud Deũ Nominati*. Ita Nominati fuerunt apud Deũ, quos Adã pœnitens, quos Abel, Set, Abrahã, Isaac, Jacob, & alii veteres Sancti exegerunt. Est demũ cuilibet à Supremo Authore naturæ, descriptus dierũ vitæ annorũq; terminus. Ast tamen hodierna Resurrectionis Domini dies, Deũ ipsum sanctiore titulo concernere videtur. Omnes ab Orbe cõdito dies velut cæteros Jacobi Filios cõsidera. Unicus charissimꝰ Patri Filiꝰ Beniamin, qui interpretatur *charus & clarus*, Unica *charissima* æterno Patri & *clarissime*, Resurrectionis Unigeniti Filii Dies, *quã peculiariter Deus sibi consecravit*, subjũgit Belarminus. Hæc est dies futuri sæculi exẽplar, inchoatio æternitatis, vitæ immortalis exordiũ, dies salutis & gratiæ, totius gloriæ nostræ principiũ.

Sine lumine diẽ, imò umbrã afflictionũ, totũ vitæ suæ cursũ declamat Jacob. Cap. 45. deperditũ lachrimando Filiũ, sed ecce infallibili acceptã notitiã *Filiꝰ tuus vivit*, in clariora sole, & plena cordis lætitiæ suipsius prorumpit verborũ encomia: *Sufficit mihi si Filius meꝰ vivit*. Satis & hodie sublimẽ dies nostra obtinuit gloriæ gradũ, satis exoptatissimũ lætitiæ occupavit soliũ. Omnia tenebrarũ genera, uno lætitiæ dissipavit radio, à lumine solis justitiæ illuminata. Hodie Crux Christi, quasi Virga Moysis conversa in serpentẽ rediit in Virgã triumphalẽ; hæc Virga Aaron triduo sicca, floret iterum. Virga de radice

Jesse

Jeſſe triduo jam reciſa ab arbore, fructum hodie tulit. Vide ergo & toto clama ore, quàm læta ac ſerena Reſurrectionis Domini Dies, niſi te caliginoſa peccatorum impediat conſcientia. *Sed ſurge, qui dormis & illuminabit te Chriſtus.* Sufficit igitur ſufficit ad claram Diei demonſtrationem, clarior à mortuis Chriſti Reſurrectio. Sufficit mihi ſi JESUS meus vivit, hæc læta, hæc ſerena conſolationum Dies.

Sit ergo & tibi qui in ſolio pro ſole micas *Sereniſſime Rex, Domine Clementiſſime* in millenas annorũ myriades, absq; tenebrarũ eclipſi ſerena dies. *Sit ſolium toto Orbe tuũ cum ſole triũphans.* Jã du- Claudian: dũ ſepticollis adoraverat Roma ſimilẽ qui perſvaderet, ut omne tempus, à prima Imperii die Octavii Auguſti, auguſtũ ſæculũ appellaretur. Noſtra nũc ſæcula, quis neget, ſub *Sereniſſimo* AUGUSTO III. trina perfectione eſſe auguſtiſſima, quinimo ipſum, *Auguſto creſcit ſub Principe cœlum.* Quia Claudian: ſpem ſuperâſti, cupienda prævenisti *Sereniſſime Rex,* Cœlum tibi, & humani generis hoc tribuat Author, ut prælatus antiquis, vincas propria ſingulorum, in Menelao dignitatem, in Neſtore ætatem, in ore omnium Gratianum; virtute Victor, *Auguſtus* Sanctitate, cum *Sereniſſima Regina* Domina mea Clementiſſima, ad cujus ſanctiorem Auſtriacarum virtutum univerſitatem proclamandã, quanquam ſacer, tacitus tamen Orator adſum, ne *ſcrutator Auguſtiſſimæ Majeſtatis opprimar à gloria,* unum ſolùm precari non deſinã, ut quaſi Lux procedas & creſcas, in perfectum omnium fauſtiſſimorum diem, Sanctitatisq; ac virtutis Tuæ innatis

340 fulgoribus, Illustra Lechicum *meritis insignibus Orbem*; Umbras angustiarum Regni hujus dissipa. Resurgẽtis Salvatoris nostri benignitas, diu Patriæ, Nobis, Te sospitem præstet, servetq; incolumem.

O JESU; nostrũ gaudium per Tuam gloriosissimam Resurrectionis Diem, fac ut nil videam, nisi Te summum bonum, Sydera erratica Mundi hujus deliciæ, tanquam umbra prætereant; mihi verò in extremo mortalis vitæ decursu, redde diem sine nube serenam, non me jam protunc *sub umbra mortis* latitantem, prætereat *dies boni nuntii* occasûs gaudiorum cœlestium nescia, cujus perpetua Sanctæ lucis claritate, mentes Beatorum serenare *Domine Tu scis & vides* in sæcula sæculorum Amen.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

IMPRIMATUR.

GVILHELMUS ROBERTSON J. U. D. Gnes: Posn: Vars: Can: Præpositus Insul: Camen: Cust: Lovicien: per Diœcesim Posn: Curiæ Epis: Generalis Auditor & Judex.

us
a.
e,
n.
ſi-
ſi
u-
rò
ſi-
n-
tii
ua
re
m

eſ:
ſt:
ra.